



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 33. Et occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. v. 13.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

moritur non habet terræ particula... propriam, sed conditur in alieno sepulchro, & inucluitur sindonialiæ &c.

O Mundi fabricator Deus qui mittis alio mendicatum hospitium vt ibi requiescas, manduces, opereris mysteria, veni in cor meum ibi quiesce, ibi operare ibi fige tuam sedem, vt sit tibi per grata & ornata aula: quia id tibi offero soli. paratum cor meum, paratum cor meum ad omnia, quæ desideras.

§. 33. *Et occurret vobis homo lagenam aqua baiulans. v. 13.*

Mittendo discipulos ad ignotum hominem innuit discretè Christus magno illo miraculo, quo cordis humani sese Dominum ostendit, quodq; non posset pati, si nollit pati. nam qui mentem ignoti nouit disponere vt ipsos reciperet suomet cum detrimento, quid non posset operari in notis & nocentibus ipsum, præsertim in ijs rebus quæ iisdem prodesse noscerentur, inter quæ indubie erat, si ipsi Dominum gloriæ non crucifigerent, sed seruarent. Dum igitur hoc miraculum innuit prudentiam vnâ inculcat, & discipulis præscribit signum, vt domum ignoti viri inuenirent, dicens: *occurret vobis homo lagenam aqua baiulans.* Ergo primo ad feruum illum missi sunt, qui lagenam aquæ baiulare; sed illo mediante ad Dominum eiusdem diriguntur. Mira, mira. Futura contingentia æque ac libertatis arbitrio subiecta video te prænosse & prædisponere posse. Domine Deus & Saluator meus, quid iam timeam? Quid ni in te tuaque bonitate summe confidam? & innitatur.

Domine Deus in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, sine te nihil vspiam recte disponitur, obsecro disponere dignare ante faciem prædicatorum tuorum, Episcoporum & Prælatorum &c. curantiū animas tuo sanguine redemptas, vt verbum eorum sit placitum in cordibus auditorum quos tu mittere ad illos dignaris.

§. 34. *Sequimini eum.*

Hoc est imitemini eum nunc corporaliter postea cum reuelatum fuerit regnum meum etiam spiritualiter nempe in laboribus pro Deo nocturnis huc diurnis, in patientia, in obedientia, mansuetudine, fidelitate, paupertate, baiulantem corporaliter quidem aquam pro vsu Domini sui, sed mysticè significantem quod sacerdotes Dei, vbi inuenerint pœnitentium lacrymas super peccatis, debeant Domino parare pascha, nam quid aqua in sacra scriptura denotat nisi vel populum pel pœnitentiam, vt dis-